



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Praxis Bene Meditandi**

**Berzetti, Nicola**

**Coloniae Agrippinae, 1658**

Præparationes propinquæ.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56496](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56496)

voluntariè non cogitet, nec videat, nec dicat, nec sentiat quicquam, quod ipsum distrahat. Summa, quod monet Cassianus, ità se ante orationem disponat, qualis ipso orationis tempore inveniri desiderat.

*Præparationes propinquæ.*

**Q**Uandoquidem exemplo Davidis, Deo diceretis: *In matutinis meditabor in te*: aptissimum meditandi tempus est, quo quis lecto consurgit, ut ergo magis promptum se & expeditum ad hoc exercitium inveniat, pridie bis vel ter attentè perlegat scriptum, sive librum, ex quo meditandi materiam sumit, deinde h

istoriam

istoriam sive materiam totam in  
tria, plura, aut pauciora puncta  
dividat, prout plura aut pauciora  
fuerint capita ad quæ præcipuæ  
partes mysterii reduci poterunt;  
nisi fortè in scripto ipso, vel li-  
bro distincta sint. Deinde pro-  
portionatum materiæ præparatæ  
finem sibi præponat, ad quæ col-  
limet dum meditatur, & hic finis  
vel communis esse potest, omni-  
bus ejusdem rationis mysteriis,  
exempli causa, omnibus ad vitam  
aut passionem Christi pertinenti-  
bus; vel unicuique mysterio, vel  
etiam unicuique puncto mysterii  
particularis, & consequenter vel  
unico, vel multiplex pro condi-  
tione materiæ propositæ: exempli

gratiâ, finis omnibus vitæ Christi  
mysteriis communis esset, velle,  
penetrare, quid in illo mysterio  
pro nobis agat, velle amare fer-  
ventius quàm ante; velle imitari  
diligentius quam ante: Finis par-  
ticularis mysterio Incarnationis  
esset, cognoscere magnam chari-  
tatem & humilitatem Dei, de-  
siderare optimo, quo fieri potest  
modo, ipsum cognoscere & imi-  
tari totum se illi dedicando, at-  
que infrà omnes homines ipsius  
amore humiliando: magis parti-  
cularis uni puncto esset penetra-  
re, quam ratione Deus resolu-  
tiones nostro bono factas subito  
exequatur, & velle ipsum imitari  
in executione propositorum ad

sua Divinae Majestatis honorem  
& gloriam factorum. Deinceps  
determinet diligenter, quænam  
debeant esse præludia, ne postea  
multo ad hoc tempore sit opus,  
aut horâ meditationis de hac re  
debeat esse sollicitum. Denique  
advertat, cujus generis personæ,  
quæ verba, quæ opera singulis  
punctis comprehendantur, abs-  
que discursu tamen, nisi fortè  
quasi obiter prægustando, ad ape-  
riendam aliquo modo ipsi medi-  
tationi securæ viam: & hoc fa-  
cere poterit, vel formando sibi  
ipsi historiam, prout probabiliter  
accidere potuit, rudi quo occur-  
ret modo, non adhibitâ singulari  
diligentiâ, & notando specialiter

personas, verba, & opera, (quæ  
probabilitas historiæ requirit, ut  
accedât) maxime personam, ver-  
ba, & opera Dei, Angelorum,  
Dæmonum, quæ fere in omnes  
meditationes non parvo fructu  
introduci possunt; vel certe acci-  
piendo historiam simpliciter,  
sicut ab authore narratur à quo  
meditanda sumitur, & sum-  
matim notando eas solum per-  
sonas, verba & opera, quæ ex-  
pressè historiæ inferuntur. Pri-  
die post cubitum antequam in-  
dormiscat, tanto temporis spatio,  
quanto recitaretur semel saluta-  
tio Angelica aut paulo longiori,  
cogitet, qua sibi hora surgendum  
sit & præperata ante puncta bre-  
viter.

viter in memoriam revocet, idemque faciet, quoties de nocte evigilare contingeret.

*Preparationes proxime.*

**M**ANÈ ut primum excitatus fuerit exclusis omnibus aliis cogitationibus breviter quidem, sed magno affectu pro collatis beneficiis debitas Deo gratias agat, & efficaciter proponat, magna diligentia defectus omnes, præsertim illum, de quo examen particulare instituit, vitare. Deinde prægustulum quendam meditationis capiat, & magnū in animo suo desiderium excitet, brevi in cœlo coram divina Majestate comparendi, & cū eâ de negotiis ad ejus gloriam, atq; animę proprię